



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 66. Lusitanorum clades in Africa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1437.

peratoris diplomate, quod Carolus IV. confirmavit, sancitum habetur, quod ius Regem eligendi, si de prosapia Regali Bohemiæ nec masculus nec foemina superstes fuerit, ad Prælatos ac Regni Proceres devolvatur, nulla penitus facta mentione prædicti foederis. Id quoque certum est, quod Augustissima Austriæ dominus non pauca, quæ possidet, dominia ex solis fere nuptiarum foederibus Deo benedicente acquisiverit. Ut res se habeat, Dux Albertus omni iure Sigismundo successit, & socrum suam, quæ ipsum Bohemiæ regno exuere molebatur, captivam detinere coactus est. Verum hæc facta opportuniorem locum in Historia anni sequentis sibi vendicant.

§. LXVI.

*Lusitanorum clades in Africa.*

Hoc eodem anno ingenti clade Lusitani in Africa attriti leguntur. Ferdinandus enim ex quinque Regis Lusitaniæ Fratribus animi robore præstantissimus cum sex tantum millibus armatorum in Africam navigare constituit, contranitentibus frustra Procerum quam plurimis, qui Mauros tam parvo militum numero aggredi rem periculi plenissimam ajebant. Ast Ferdinandus hæc nihil moratus, in Africam trajecit, & impetra-

Sæcul. XV.  
A.C. 1437.

ta a Pontifice indulgentia, quæ in sacro bello pugnantis concedi solet, præpripis Urbem Tingin obsidione cinxit, adverso tamen successu; quippe a validissimo Maurorum exercitu, qui sexaginta peditum millibus, haudque minori equitum numero constabat, intra munimenta sua obsessus, ac post acre prælium nullo dato fugæ loco cum suis captus est. Cum dein Maurorum Rex omnes pacis conditiones respueret, Ferdinandus usque ad annum Domini millesimum quadringentesimum quadagesimum, quo obiit, in captivitate temeritatis suæ pœnas luere compulsus fuit. Mariana Principem hunc eximium Religionis cultorem, ac moribus castissimum deprædicat. Corpus ejus clam in Lusitaniam delatum, ingenti pompa exceptum est, ac juxta Patris sui cineres conditum.

Marian. l. 21  
c. 12.

§. LXVII.

*Renatus Andegavensis libertati assertus.*

Renatus Andegavensis, quem Burgundia Dux hucusque captivum detinebat, omnibus diu incassum adhibitis mediis, tandem libertatem suam satis caro redemit pretio; plures quippe ditiones cedere, & Jolandam natu majorem non nisi novem annorum filiam suam Ferryo Anto-